Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

et in magna domo factus est sonus
suavitate plenus. Et rogavit po-
pulus dominum excelsum in prece
usque dum perfectus est honor domini
et munus suum perfecerunt. Tunc
descendens extulit manus suas in
omnem congregationem filiorum
israel dare gloriam deo a labiis suis
et in nomine ipsius gloriari. Et i-
teravit orationem suam volens os-
tendere virtutem dei. Et rursum
plus oravit dominum deum omnium qui
magna fecit in omni terra qui auxit
dies nostros a ventre matris nostre et
fecit nobiscum secundum suam misericordiam
Det nobis iocunditatem cordis
et fieri pacem in diebus nostris in israel
per dies sempiternos credere israel nobis-
cum esse misericordiam dei ut liberet eos
in diebus suis. Duas gentes odit
anima mea. tercia autem est gens quam
oderim qui sedent in monte seyr
et philistiim et stultus populus qui habi-
tat in sychimis. Doctrinam sapien-
tie et sciencie et discipline scripsit in
codice isto ihesus filius syrach ihe-
rosolimita qui renovavit sapien-
tiam in corde suo. Beatus qui in
istis versatur bonis qui ponit illa
in corde suo. sapiens erit semper. Si
enim hoc fecerit ad omnia valebit
quia lux dei est vestigium eius.

Confitebor LI
tibi domine rex et collau-
dabo te deum salvatorem
meum. Confitebor nomini tuo mag-
no. quoniam adiutor et protector
factus es michi et liberasti corpus meum
a perditione. a laqueo lingue inique
et a labiis operantium iniquitatem
et mendacium. Et in conspectu
astantium factus es michi adiu-
tor. et liberasti me secundum multi-
tudinem misericordie nominis tui. A rugien-
tibus preparatis ad escam. De manibus
querentium animam meam. et de mul-
tis tribulationibus que circumde-
derunt me. A pressura flamme que cir-
cumdedit me. et in medio ignis non
sum estuatus. De altitudine ven-
tris inferi. a lingua coinquinata
et a verbo mendacii. a rege iniquo
et a lingua iniusta. Laudabit usque
ad mortem anima mea dominum
et vita mea appropinquans erat in
inferno deorsum. Circumdederunt
me undique et non erat qui adiu-
varet. respiciens eram et ad adiu-
torium hominum et non erat. Memora-
tus sum misericordie tue domine antique et
cooperationis tue que a seculo sunt
quoniam eruis sustinentes te do-
mine et liberas eos de manibus gen-
tium. Exaltasti super terram habitatio-
nem meam et pro morte defluente
deprecatus sum. Invocavi dominum
patrem domini mei ut non derelinquat
me in tempore tribulationis mee
et in tempore superborum sine adiuto-
rio. Laudabo nomen tuum assidue
et collaudabo illud in confessione
et exaudita est oratio mea. Liberasti
me a perditione et eripuisti me de tem-
pore iniquo. Propterea confitebor et
laudem dicam tibi et benedicam no-
mini domini. Cum adhuc iunior sum.